D. O. M.

SACRÆ THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

# PROPVGNACVLVM

ET DELINEATA CONCORDIARVM

ATQVE DISCORDIARVM EIVS

EFFIGIES.

5 "
36.26 D26 5

A' F. AVGVSTINO GALAMINIO BRASICHELLENSI,
Ord. Præd. Lectore Theologo publicæ propoſita Diſputationi
*Pro Comitijs Generalibus in Sereniſs. Venetiarum Ciuitate celebrandis ad Sacram Sanctorum Ioannis & Pauli Aedem.*

AD ILL.^MVM ET REVERENDISS.^M
S.R.E. Cardinalem Alexandrinum Epiſcopum Albanen.
Ord. Prædicatorum Protectorem Vniuerſalem.

Venetijs, Apud Georgium Angelerium. M. D. XCII.

Si murus est, Aedificemus super eum Propugnacula Argentea. Cantic. 8. Cap.

# ILLVSTRISSIMO

## AC REVERENDISSIMO

## D. D. FRATRI MICHAELI BONELLO

S. R. E. CARDINALI ALEXANDRINO

TOTIVS ORD. PRÆDICATORVM PROTECTORI,

FR. AVGVSTINVS GALAMINIVS

Brasichellensis eiusdem Ord. S. P. D.

CVM, vt quibus obedientiæ vinculis teneor, satisfacerē, aliquot mihi necessariò parandæ essent Scholasticę Cōclusiones, quas Venetijs publico disputationis congressu propugnarem, nihil plausibilius in mentem uenire potuit (Illustrissime Princeps, & Amplissime Cardinalis) quàm vt de hoc ipso cogitarem Scholasticæ Theologiæ Propugnaculo. Quod cùm succisiuis horis & tumultuario quodam opere secundùm temporis angustias in hanc tandem formam, rudem satis (fateor) euasisset, non fuit cur de alio Patrono vel Propugnatore sollicitarer. Cui enim SACRÆ THEOLOGIÆ PROPVGNACVLVM, nisi tibi, meo, imò nostro, & totius nostri Ordinis, ac bonarū literarum PROPVGNATORI acerrimo, ac vigilantissimo dicandū erat? An non Illustrissimę Dominationi tuę debētur quæcunq; bona, quęcunq;

ſancta,quæcunq; illuſtria parit,aut parere poteſt Prædicatorũ familia ? cuius & filius, & Parens, & Protector effectus es; cuius amplificandæ ſtudio,incredibili religioſorum morum affectu,nihil non cogitas, nihil non moues, quod ad eam, ſi qua parte collapſa eſt,inſtaurandam,& ubi integra fuerit, conſeruandã facere uideatur. Scio equidem, quàm tenue, quàm obſcurum, & quàm meritis tuis impar, & indignum ſit,quod offero, munus; neque id facere auſus eſſem,niſi cum clariſſimis animi tui dotibus,cum ampliſſima dignitate,cum ſumma ingenij,iudicijq; præſtantia coniunctam eſſe ſcirem Benignitatem incõparabilem, clementiam ſingulàrem, & erga omnes Bonos, præcipuè verò literarum cultores inſuperabilem beneuolentiæ affectum. Illuſtriſſimam Dominationem tuam humilis, ac ſupplex oro,& obſecro, vt hoc ſeruuli ſui munuſculum ſerena(qua ſolet) fronte ſuſcipere, & maximæ authoritatis ſuæ altiſſimo Propugnaculo me ipſum tueri,benignè velit. Quam Diuina Maieſtas incolumem perpetuò ſeruet, atq; amplificet ad Eccleſiæ ſuæ frugem.

Venetijs Idibus Maij. M. D. XCII.

# SCHOLASTICI PROPVGNACVLI

## Argumentum.

CELESTIS *Animarum sponsus, qui, vt felici connubio genus desponsaret humanum, nostra in Virginis utero coangustari carne non horruit, in Canticis Canticorum dilectissimam sponsam in hunc modum alloquitur.* Si Murus est ædificemus super eũ PROPVGNACVLA Argentea. *Qua sententia (vt ego quidem arbitror, grauissimos secutus authores) docere nos Diuinitas uoluit, quidnam esset ecclesiæ ex gentibus collectæ faciendum, cùm uel ab hæreticis, vel à cæteris aduersarijs de Religione ac fide sua rationem poscentibus oppugnaretur. Si Murus est, inquit. Stat fides, firmitatis, & stabilitatis merito uelut murus, fundamento, quod* CHRISTVS *est, ædificatus; At sola per semetipsam, nullis munita præsidijs, aduersantium obiectiones dissoluere, & eorum machinamenta nequit euertere. Aedificemus igitur (ait sponsus) super hunc murum Propugnacula Argentea, Theologica scilicet diuinis eloquijs extructa munimenta, quibus tanquàm Dauidicæ Turris Clypeis, atque sagittis, & omni fortium armatura suffulta se ipsam propugnare, contra hostes defendere, & eos potenter arcere queat, ac uincere. Arma quippe militiæ nostræ Argentea sunt, pura, lucida, firma, quandoquidem eloquia Dei eloquia casta, Argentum igne examinatum purgatum septuplum. Cui præstantissimo muneri, ne fraudulentis hæreticorum calliditatibus sanæ & incorruptæ doctrinæ dogmata uiolarentur, quanta diligentia, quibus uiribus, et quanta successuum felicitate ij præsertim Theologi, quos Scholasticos uocant, intenderint, toti mundo iampridem cognitum est, & res ipsa perspicuè per semetipsam loquitur: eo enim disceptandi genere, & docendi methodo diuinitus demum inuenta quid potest esse accommodatius ad hæresim reuincendam, & quæstiones cunctas usque ad suos fontes & prima elementa resoluendas? Verùm cùm Theologia Scholastica firmissimum sit fidei Propugnaculum, quo stante stare hæreses non possunt; sectarij è contra nostrorum temporum nullum non mouent lapidem, vt, qua possint arte uel dolo, illam è manibus nostris eripiant, sophisticam eam & nouum inuentum appellantes, & tam acri odio in eam debacchantur, quam suis erroribus obsistentem uident, vt apud imperi-*

tum uulgus, & leuem plebeculam iniuſtis quidem, ſed grauibus & in perniciem Animarum manifeſte uergentibus calumnijs, implacabilium diſcordiarum nomine traducant. Et cùm ſint ipſi deteſtandis diſſenſionibus impliciti, atque in ſectas innumerabiles (non quidem de his, quæ fidem non tangunt, ſed de ipſiſſimis fidei principijs) diuiſi, flagitium tamen eſſe exiſtimant, ac ut immane ſacrilegium abhominantur, ſi ſcholaſtici Doctores (ſynceræ fidei ac præcipuarum concluſionum integritate ſeruata) circa ea, quæ ex ſuis principijs non facilè nec clarè deducuntur, contrarijs plerunque teneantur opinionibus. Quid enim ueri (aiunt) ab iſtis factioſis hominibus eſt expectandum, quorum alij THOMAM, alij SCOTVM, alij Ocham, alij alios inter ſe ambitioſa quadã ſubtilitate perpetuò conflictantes ſequuntur? Poterunt ne iſti tot contentionum uento diſtenti, Barbari, rudes, inculti, Dei populum ſolido paſcere cibo? Quid enim? Poterunt ne THOMISTÆ Scotiſtas, aut SCOTISTÆ Thomiſtas, uel diligere, uel docere? Qua demum arte illud effectum eſt, ut nonnulli ex ipſis etiam fidelibus linguæ præſertim cultioris lautitias, & humaniorum ſtudiorum facilitatem affectantibus, non ex malitia, ſed ex imprudentia, uel ex immoderato artis oratoriæ zelo, aut ex naturali mentis hebetudine, ob ſcholaſticorum ſubtilitates, diſcordias, & ſermonis ſimplicitatem offendantur, pariter, & offendant, & in neſcio quem ſibi ſatis perniciosum Scholaſticæ contemptum ac odium incurrant: eſt enim ſententia, uti protrita, ita & exploratiſſima, unumquenque ea facilè contemnere, uel odiſſe ſtudia, in quibus uerſatus non ſit, aut minus profecerit. Viſum eſt igitur SCOLASTICÆ THEOLOGIÆ PROPVGNACVLVM non quidem ædificare; Quis enim ego ſum, qui rem tantam præſtare poſsim? Sed quod à ſanctiſſimis uiris diuino ſpiritu iamdudum fuerat ædificatum, oſtendere, & à calumnijs leuium Hominum, quibuſdam propoſitis capitibus uindicare. Huic protinus quandam quaſi leui penicillo delineatam concordiarum atque diſcordiarum Scholaſticarum effigiem ſubieci, quò eas non ſolùm non eſſe damnandas, ſed magis laudibus celebrandas, perſpicuum fieret. Æquè bonique conſulat benignus Lector.

1 THEOLOGIA, quam Scholaſticam appellamus, à priſca Beatorum Apoſtolorum, Prophetarum, aliorumq; SS. Patrum Theologia ſcriptis eorum exarata ſecundum ſubſtantiam uerè non differt; At nouum habet modum breuiori compendio ad doctrinæ methodum, ac diſciplinæ rationem & artem magis redactum.

2 Hæc in ſancta Dei eccleſia non ſolùm utilis, honorabilis, atque iucunda merito iudicatur; ſed (quale Hominum eſt ingenium) hac noſtra potiſsimùm tempeſtate propemodum neceſſaria cenſetur.

3 Nec profectò eſt, qui magis queat ſubtiliter, eruditè, ac breuiter tùm hæreſes ſtatim dignoſcere uniuerſas, tum fallacibus aduerſariorum argutijs reſpondere, eoſdemque fortiter euincere, quàm qui Scholaſticam egregiè calluerit. Eas autem regiones, atque prouincias, in quibus hæc ipſa non uiguerit, magno perdendæ fidei periculo ſubiacere, neceſſe eſt.

4 Ipſa uerò ſibi ipſi firmiſſimum eſt Propugnaculum, cùm nullius ſuperioris ſcientiæ humanitus partæ indigeat patrocinio (quippè quæ cunctas tum dignitate ſubiecti, tum luminis certitudine, ac finis altitudine, veluti domina pediſſequas, altiſſimo exſuperat interuallo) uniuerſasq; ſuis principijs aduerſas diſſoluere poſſit obiectiones, & ex conceſſis quibuſdam ad cætera ſua probanda principia efficaciter argumentetur.

## SCHOLASTICA NEC QVAESTIONIBVS SOPHISTICA, nec diſcordijs ſcandaloſa. Cap. II.

1 VT ijs omnino ſatisfiat, qui ex Scholaſticorum Doctorum quæſtionibus ac diſſidijs ſcandalum ſumunt; In primis eorum aſſerimus ineptum eſſe philoſophandi, aut ueritatis inueſtigandæ modum, qui repudiato Scholaſticarū quæſtionum uſu, tanquàm Sophiſtarum inuento, omnia more Pythagorico, & quaſi ex oraculo tradunt, aut ſuſcipiunt, & nullum adhibent examen rationum earum, quæ in ſubiecta materia

ria pro utraque parte uel ab alijs propositæ sunt, vel rem attentiùs consideranti uenire in mentem possunt.

2 Dehinc ob probabiles apparentias circa eas dissentire conclusiones, quæ nulla necessaria euidenti consequentia ex sacris scripturis, aliisve principijs deducuntur, neq; peccatum est, neque ullam ex se peccati speciem præbet, sed humanam consequitur naturam, quæ rationalis cùm sit, contrarijs rationibus in contrarias naturaliter trahitur partes. An non stupidi moriones, pecudibusque deteriores forent, qui nullis omnino uel rationibus uel authoritatibus mouerentur?

3 Peccat quidem quisquis opposito catholicæ propositionis, cuius oppositum explicitè scire tenetur, assentit; Assentiens tamen contradictorio propositionis, cuius contradictorium non adstringitur explicitè scire, non peccat.

4 At quamuis, vbi æquales fuerint post sufficientem indaginem apparentiæ, hanc uel illam opinionem sequi, nullum (vt diximus) sit peccatum; cæteris tamen paribus in ea potius debet unusquisque uersari opinione, in qua plures uersantur experti, quàm in qua pauciores.

## *SCHOLASTICA DISSIDIA AD FIDEM ET BONOS mores ædificatoria. Cap. III.*

1 OPinionum sanè vel diuersitas vel discordia Amicitiam verã nec vitiat, nec tollit. Vnde & inter sanctissimos viros absq; ulla charitatis & pacis læsione, laudabilis & meritoria quandoq; reperitur dissensio, qualis inter Apostolos Paulũ & Barnabam contigisse refertur, Act. 15. inter quos propter cõtrarias, quas rationabiliter & cum meritorum cumulo, & cum fidelium ædificatione conceperant, atq; defendere pergebãt, opiniones, tanta facta est dissensio, vt alter ab altero demùm discederet. Quin (ut altiùs ascendamus) inter Angelos quoque beatos, qui Deum actu uident, laudabilis potest pugna existere, quemadmodum & extitit. Dan. 10.

2 Tantùm igitur abest, ut æqualem atq; concordem tã probatis, quàm non probatis debeant consensum Scholastici præbere conclusionibus, vt si illum præberent, Fidei dignitati sum

mam

mam irrogarent iniuriam. Alia quippè sunt (vt ipsis S. P. Aug. verbis vtamur) in quibus inter se aliquãdo doctissimi atq; optimi regulæ Catholicæ defensores (salua fidei compage) nõ consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & uerius. 70

3 Porrò quòd inter tot disceptationes Theologorũ, qui docentes atque scribentes in diuersas ut plurimum sententias rapiuntur, tanta præterea in his, quæ ad fidem spectant, inueniatur concordia quanta certè inter Scholasticos inuenitur, colligi profectò non aliud debet, quàm illius prouidentiæ opus esse, qui facit (vt inquit Iob) concordiam in sublimibus.

## SCHOLASTICORVM DISSIDIORVM causa. Cap. IIII.

1 Diuina itaq; perfectio nostraq; imbecillitas illud potissimùm efficiunt, vt dũ altissimas eminẽtissimi sui obiecti rationes, atque proprietates sub ænigmatico ac proinde inadæquato lumine speculari & assequi Theologia contendit, intã multiplices (salua fidei & charitatis unione) doctissimi viri trahantur opiniones, & Scholastici circa eandem rem discrepantia sæpè iudicia proferant.

2 Est quippè Theologia impressio sigillũ, & pelagus quoddam, abyssusq; diuinæ lucis omnem humanę intelligentiæ notionem, & habitum excedentis, à qua & primitus effluit, & in quam demum refluit discorditer concors emicatio scientiarum omnium. Cuius & tanta est profunditas, vt in ea quotidie proficeres, si eam solam ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio meliore ingenio conareris addiscere.

4 Quocirca nõ modò laudabile est, in sacræ Theologiæ usũ adsciscere philosophiam, cæteraſq; scientias, sine quibus Theologica Doctrina aut vix aut nullo modo profundè percipi, aut exactè defendi potest; sed & extranea quæque ad solum Theologiæ decorem conducentia introducere, nulla est prorsus absurditas.

1 TAmetsi, Canónicorũ librorũ Scriptoribus exceptis, cæteri Doctores ita legẽdi sint, vt quantalibet polleant doctrina & sanctitate, non propterea verum esse existimetur, quia ipsi scripserunt; in Scholasticis tamen exercitationibus, studiorũq; tyrocinijs ineundis, ac ueritate perueſtiganda unum aliquem & doctrina insignem, & sanctitate conspicuum eligere, quem ueluti corypheum sequamur, non modo nulli uitio uertendum est, sed & non modicis laudibus efferendum.

2 In tantaq; iudiciorum diuersitate melius est unius egregij sanctissimiq; uiri, qui præclarissimo ingenio, præstantissimo iudicio, animoque ab omni peruersa affectione liberrimo per uiam regiam cõmuni Ecclesiasticorum Patrum incessu tritam sapientissimè gradiatur, Doctrinam in radice callere, ac benè capere, quàm nulli Magistro addictum omni circumferri uento doctrinæ, periculis obuiam ire, monstra parere, scireque in omni aliquid, & in toto nihil; nam dum quisque mavult (illustriorem ea re gloriam sperans) uideri nouæ author sentẽtiæ, quàm veteris defensor & sectator alienę, quot sunt homines, tot penè oriuntur opiniones.

3 Non ob id tamen eos probamus, qui propriis uel etiam aliorum opinionibus mordicùs inhærentes contraria dogmata absque sufficientibus rationibus, uti suspecta, præcipites damnant, grauioribus censuris inurunt, & nihil, quod eorum iudicio dissonet, probabile putant. Scientis quippè signum est, ea euidenter docere posse, quę nouerit.

4 Aequum est autẽ, ut non solùm ijs gratias habeamus, quorum doctrinam amplectimur, & sententijs acquiescimus, sed ijs etiam qui contraria sentientes non contentionis studio, sed ueritatis amore, uarijs argumentorum generibus eandem ueritatem illustrare, & ad eam firmius capescendam nostra magis excitare potuerunt ingenia. Non est igitur, quod THOMISTAE Scotistis, aut SCOTISTAE Thomistis aliquo pacto succenseant.

SCHO-

1 CVm res formalesque rerum rationes multo plures sint latinis uocibus eadem res & rationes significantibus, & quælibet aliæ facultates propriis quibusdã utantur uocibus earum expertibus nequaquam cognitis, Accusantur immerito Scholastici, qui de rebus altissimis uia & ratione exactissimè pertractantes nouis quidẽ & minus latinis, uerùm idoneis & significatione plenissimis utantur uocibus, quod & Cicero ipse Philosophica tractans coactus est factitare. Nam qui rudi crassaque (ut aiunt) Minerua rem per transennam inspiciunt, latinissimis vocabulis uti possunt; qui uerò medullitus ad uiuum superuacanea resecantes, res ipsas (ut sapientes decet) penetrare, ac uniuersos anfractus, & sinus euoluere satagunt, hos necesse est minus plerunque latinas, sed ad propriũ usum accommodatas uoces effingere.

2 Et quamuis pulchrior & præcligenda res sit locutionis elegantia, dum eius studium potioribus studijs non officiat, quàm orationis rusticitas, iniustum tamen & periniquum est, sapientes Theologos reijcere, uel damnare, qui non in grammatistarum scholis & pedagogiis, sed in sapientum cõuentibus minus ornatè, uel barbariuscule sint locuti. Sermonis.n. inculta simplicitas, ut ad causas ciuiles agẽdas inepta est, sic Scholasticæ methodo, ac mori dialectico ad rerum tã grauium ueritatem paucis aperiendam aptissima est, non lepore sermonis alliciens, sed robore proprio cogens, ac admirabili grauitate hominem trahens.

3 Eam quippè dictionis simplicitatem in mysteriis enodandis imitati sunt Scholastici Doctores, qua & in scripturis sanctis usus est Spiritus Sanctus, qui arcana sapientiæ suę ijs verbis, & eo stylo, quo maximè decuit, exprimi uoluit; qui si comptè si politè proloqui uoluisset, non opus erat ei hominum auribus prurientium garrula eloquentiá; qui fucos odit, & cincinnos, nolens uerborum lenocinio sapientiam contaminari: usus inculta dictione, at uerenda, simplicibus uerbis, at flammeis, cui curæ non fuit; talibus blanditiis homines indignos

ad Theologiam capessendam allicere, sed potius seueritate eloquij deterrere, cùm sit per se se tam reuerenda, tam sublimis, tam pulchra, tam decora, ut (modò ab illa non sis alienus) magis nudam adames, suspicias, admireris, quàm compositam, & ornatissimam.

*CAETERVM ADMIRANDA VIS THEOLOGICI propugnaculi splendidior fiet si Scholasticarum Concordiarum atque Discordiarum delineatam subijciamus imaginem. Et primo quidem Concordias, deinde verò Discordias in subiectis quinque capitibus effigiabimus, hunc in modum.*

1 DEus sub formali ratione Deitatis est proprium Sacræ Theologiæ subiectum.

2 Deo autem quinq; speciales dignitates propriæ sunt, Nam

Deus est.

| | | |
|---|---|---|
| Solus verè substantia Vnus. | Solus personarum distinctione Trinus. | Solus increatus omnium Creator. |
| Solus impiorum Iustificator. | | Solus iustorum Glorificator. |

## DELINEATA CONCORDIARVM SCHOLASTICARVM.

### Effigies.

# Vnus.

1 DEus Deus noster Deus unus est, Ait Moyses Deut. 6. cap. Vnus (inquam) secundum indiuiduam rationem. Qui incorporeus, summè Simplex, summè Perfectus, summè Bonus, omnino īmutabilis, Substantia infinitus, Potentia īmensus, Sapientia incōprehensibilis, Nullius indigus, omniū Beatissimus, sic ab æterno solus sibi sufficēis fuit, vt nō Angelus aliquis, non Materia, non aliud quicquam ei fuerit coæternū.

2 Hic in sua æternitate, quæ tota simul existens omne tempus & Aeuum ambit, sicut nec principio, ita nec ullo claudi-

utr

tur fine, & in abditissimis essentiæ suæ recessibus tum se ipsum, suarumq; perfectionum abyssum, tum uniuersa, quę sunt, & quæ non sunt, etiam singularia, & futura contingentia, & mala, certò, simpliciter, absque discursu, inuariabiliter, ac propria cognitione, sua ipsius ui discernit, & comprehendit. 72

3 Qui tametsi propter excellentissimam Naturæ dignitatem longissimo, utpotè infinito, omnem creatum intellectum excedat interuallo, & nullus omnino possit naturalibus uiribus ad eius claram pertingere uisionem; ex creaturis tamen, in quibus omnibus per essentiam, præsentiam, atque potentiam reperitur, eum nobis in hac uita quadantenus cognoscere per naturalem rationem datur triplici uia, causalitatis uidelicet negationis, & eminentiæ: qua quidem notitia aliam quoque multò altiorem, firmiorem, atque perfectiorem gratis nobis per suam misericordiam elargiri dignatus est.

4 Vniuersas quoque loquelas uincit non solùm Hominum, sed etiam Angelorum. Et quamuis multa, ac ferè infinita, nec tamen synonima, illi nomina tribuantur, quorum aliâ propriè, alia metaphoricè, quædam negatiuè, quædam substantialiter, nonnulla relatiuè ex tempore, complura ab æterno illi conueniunt, ex quibus uarias ueraśque de ipso quotidie propositiones formamus; nullum tamen eorum, nec uniuersa simul tanta dexteritate sic possumus affirmare, ut tam excellenti Maiestati omni ex parte secundum proprietatem aptari, aut quadrare queant, vel eius essentiam, vt in se est, penitùs explicare. Attributorum autem multiplicitas, nominumque diuersitas diuinę summæ unitati nequaquàm obstat. & licet in creaturis ex natura concretorum & abstractorum enunciationes uarientur, atque diffimiles fiant; in Deo tamen abstractorum & concretorum nominum uniformes, ac similes sunt enunciationes.

## Trinus.

1 DEus in sua omnium maxima unitate persistens quamuis nihil extra se ab æterno genuerit, aut produxerit; non ob id tamẽ ocioſus, aut infæcundus, aut solitarius fuisse existiman-

ſtimandus eſt, ſed interna aliqua nunquàm intermiſſa, nec intermittenda operatione, arcanoque reali proceſſu, per quem reuera trinus euadit, ocium omne, ſterilitatem, ac ſolitudinem propulſaſſe credendus eſt.

2 Sunt quippe in diuinis duæ tantùm proceſſiones; Altera per modum intellectus, qua Verbum à ſolo Patre uera & propriè dicta generatione procedit; Altera per modum uoluntatis, qua Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non quidē generatione, ſed una eademque ſpiratione procedit. Quare ita tres ſunt diuinæ perſonæ, vt neque pauciores ſint, neque plures; quæ in illius arcani myſterij ſeptis ac penetralibus ordinis progreſſionisque relationibus & proprietatibus realiter quidem ab ſe inuicem diſtinctæ dignoſcuntur, verùm in una eademque diuinitatis ſubſtantia indiuiſæ conſiſtunt.

3 Deus igitur eſt uelut æternus oculus ſe ipſum iugiter ſpeculans, qui ſibi omnino parem & cōſubſtantialem Natum gignit, immenſus immenſum, æternus æternum, Deus uerus Deum uerum, qui uera & ſuperſubſtantialis ac libera per ſe degens Dei Patris imago nullo prorſus excepta eſt ſpeculo, vel ſubiecto, quam perſonali proprio nomine filium appellamus. Hi ſempiterno ac mutuo ſeſe inuicem exoſculantes aſpectu ſpiritalem ueluti radium uibrant, ac è ſemetipſis profundunt Spiritum ſanctum (quo quidem proprio & competenti nomine accommodato diſtinctam à Patre filioque diuinam perſonam nuncupamus) qui uerus Deus exiſtens & ambobus æqualis amborum eſt ſacra communicatio, Nexus, Amor, Donum.

4 Porrò neque diuinæ totius ſubſtantiæ ſubſtantialis vnitas perſonali Trinitate, neque perſonalis Trinitas ſubſtantiali vnitate prior exiſtit; nec aliud realiter eſt diuina vnitas, aliud diuina Trinitas; ſed perſonæ, in quibus Trinitas, ipſiſſima ſunt eſſentia, in qua vnitas, eſſentia (inquam) ſimpliciſſima uniformis, atque omnino impers; Hæc tamen illa nobis notior eſt, & intelligentia prior. Quinimmo ſacrum hoc Trinitatis myſterium ita cunctos philoſophos antea latuit, vt illud ſolo naturalis luminis beneficio cognoſcere, impoſſibile prorſus fuerit.

Crea-

1 EXtasim fecit diuinus amor, cùm nulla cogente necessitate, sed libero uoluntatis arbitrio, in principio temporis fecit ex nihilo Deus cœlum, & terram, & uniuersa, quæ horum ambitu continentur, uisibilia, & inuisibilia; nihilque prorsus est, quod ab ipso in triplici genere causæ non pendeat, effectricis uidelicet, exemplaris, atque finalis. Quod quidem creationis opus ita sibi uoluit Deus proprium extitisse, vt impossibile tamen fuerit, toti Trinitati non esse commune.

2 Sicut autem intima Dei operatio nequaquam diuinæ substantiæ nodum dissoluit, neque ad inæqualitatem aut substantiæ, aut durationis labitur; ita extera eiusdem actio in substantiæ diuersitate, & inæqualitate rerum absoluitur, & non solùm a semetipso, sed etiam a seipsis inuicem res uniuersas ex intentione distinxit, ac inter eas inæqualitatẽ constituit; vt pulcherrimus hinc ordo consurgeret uniuersi, diuinaque bonitas, quæ in Deo est simpliciter, & uniformiter, in creaturis multipliciter, & diuisim communicata splendesceret.

3 Inter omnia, quæ in hoc amplissimo uniuersitatis rerum theatro continentur, principatum obtinent Angeli, qui aut omnium primi, aut cum primis creati sunt, natura incorporei; vita immortales; motu uelociſſimi; intellectus actu perpetuo uigentes; omnium, quæ naturaliter sciri possunt, plenã scientiam habentes; uoluntatis efficacia præstantissimi; memoria firmissimi; potentia incomparabiles; ordine inuariabiles; numero materialium multitudinem excedentes; nullis morborum, famis, sitis, lassitudinisve molestijs obnoxij, nec rei ullius corporalis indigentes.

4 Ab Angelis paulò minoratus Homo secundum obtinet locum, qui ex Corpore Animaq; rationali uerè corpus informante constitutus omnium creaturarum uelut epilogus fuit. Huius corpus, tametsi de limo terræ sit efformatum, contrarijs tamen quattuor constat elementis, vnde & corruptioni naturaliter est obnoxium. Animus uerò quippe qui tum substantia, tum uiriũ, atque operationum numero corpus transiliat, immortalis est,

atque perpetuus, non ex Dei substantia, sed per creationem ex nihilo factus. Hic non solùm ad imaginem, sed & ad similitudinem quoque Dei (quod maius quoddam extitit beneficium) formatus est, iustitia originali, gratiaque donatus. Quibus muneribus per cælestis mandati præuaricationem deperditis, peccatũ originale in posteros omnes ita transfusum est, vt homines uerè, & propriè constituti sint peccatores.

# Iustificator.

1 TVnc cælestis Pater, & totius consolationis Deus omnem misericordiæ suæ sinum, & pectus aperuit, ac pietatis effudit uiscera, cum CHRISTVM IESVM filium suum, & ante legem & legis tempore multis sanctis Patribus declaratum atque promissum, vbi uenit beata illa plenitudo temporis, ad redimẽdos, atque iustificandos peccatores homines misit; Quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis non solùm nostris, sed etiam totius mundi. Quo quidem mysterio, videlicet, vt uerus Deus Dei filius fieret Homo uerus, nihil inter diuina opera uel excellentius esse, vel cogitari mirabilius potest.

2 Hæc autem omnem stuporem uincens Dei & hominis copula neque in natura, neque accidentali quopiam modo facta esse, censenda est; sed (nulla prorsus interueniente naturarum confusione uel permixtione) in simplicissima, immobili, ac impermutata Dei verbi Hypostasi, quæ in naturis rationalibus persona dicitur, sic absoluta est, atque perfecta, vt non duo, sed vnus & idem omnino sit Dei & Hominis filius in diuina pariter & humana ex anima, scilicet, rationali & carne constituta natura subsistens Homo CHRISTVS IESVS, qui uoluntaria morte (morte uerò crucis) per manus iniquorum occumbens, pio per sanctissimam Passionem effuso cruore, non solùm originalis culpę, sed uniuersorum prorsus delictorum maculas absterfit, & omnibus per Baptismum in ipso renatis, quibus solis meritum passionis eius communicatur, optatissimam IVSTIFICATIONIS gratiam, diuinamque pacem obtinuit.

3 Est

3 Est autem iustificatio impij, motus quidam, quo à Deo mouetur anima ex statu culpæ in statum iustitiæ, quæ sine nobis quidē principaliter operantibus, non tamen sine nobis per aliquos actus dispositiuè cooperantibus (de adultis sermo est) à Deo & efficitur, & perficitur. Actuum quippè nostrorū, quibus Deo nos nullis nostris meritis existentibus uocanti cooperamur, primum principium est ipsa Dei per excitantem atque adiuuantem gratiam cor conuertentis operatio, cuius omnes hi sunt effectus, liber fidei motus in ipsum; timoris seruilis, quo utiliter peccatores concutimur; spei, quo Deum nobis fore propitium fidentes erigimur; Amoris, quo Deum, tanquàm omnis iustitiæ fontem, diligere incipimus; timoris filialis, quo nō iam propter supplicium, sed propter Dei reuerentiam pœnitentiam agimus; uitæ emendationem, & mandatorum obseruationem promittimus.

4 Quam dispositionem merito iustitiæ Christi iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio, & renouatio interioris Hominis per uoluntariam diuinæ gratiæ, atque iustitiæ susceptionem, iustitiæ (inquam) non qua Christvs iustus est, sed qua nobis ueraciter inhærente ex iniustis iusti, ex inimicis amici, & ex filijs iræ filij Dei per spiritum adoptionis efficimur. Quæ & cooperante fide bonis operibus magis ac magis in dies accrescit. Impium ergo iustificare, maius quippiam est, quàm cœlum & terram creare.

# Glorificator.

1 SVpremæ gloriæ fælicitatem, palàm constat, in nulla alia re, quàm in assecutione, possessioneque supremi Hominum, ac Angelorum finis sublimiùs, quàm ut uel corde cogitari possit, esse collocatam. Facessant mundi carnisque deliciæ, omnesque præsentis uitæ uoluptates, & uniuersa creata bona, quæ tam excellentis actus, qualis est Beatitudo totam replens sinuosę nostræ mentis capacitatem, proportionatum nequeunt obiectum esse.

2 At Deus omnis creaturæ principium & finis nullo quidem

sensu, verùm percipi, possideriq; potest intellectu. Vnde consequens fit, ad nostram Beatitudinem eam spectare uisionem, qua Deus (non nisi mentis oculis) facie ad faciem conspicitur; cui sic apprehenso & clarè uiso, flagrātissimo ac ineffabili beatorum spiritus inhærent amore, in quo & per summū gaudium felicissimè conquiescunt, atque illo proinde fruuntur.

3 Ad quam Beatissimam uitam nullo unquàm tempore morituram, sed in perpetuas duraturam æternitates, piorum Hominum spiritus, qui nullo uel peccato uel peccati reatu constricti, purgatione non egent, nulla interueniente mora statim ac corpore soluti sunt, admittuntur; Accidentalis quorum gloria post corporum resurrectionē in extremo iudicij die perficiendam amplior tam intensiuè, quàm extensiuè futura est. Sed & essentiali quoque gloria in ipsa suo modo redundans corpora maior secundùm extensionem est euasura. In hac uero uita, certum est, ab hominis intellectu clarè uideri non posse diuinam essentiam.

4 In qua sublimi elicienda, perficiendaq; uisionē ex parte quidem essentiæ diuinæ nulla necessaria est species eius creata, ex parte tamen intellectus aliqua non solum concurrere potest essentiæ diuinæ similitudo, sed & extra controuersiam omnino necessaria est. Et quamuis fælices illi cœlicolæ omnes Deū sic comprehendant, vt uisu teneant, & affectu deguſtent; nullus tamen eorum, nec simul omnes sic eum cōprehendunt, vt quantum suapte natura cognoscibilis est, illum cognoscant, nam tale quid per nullam potentiam fieri potest, vt creaturæ beatitudo Dei beatitudinem adæquet; sed iuxta singulorum merita per eius misericordiam dum uiuerent, comparata, alius alio perfectiùs uidet, ardentius diligit, & suauius delectatur; quare non parem omnes gloriā sortiuntur, tametsi unusquisque uoluntatē expleat suam, & exsatiatus desideret, & desiderans exsatietur. Neque uerò duæ futuræ sunt Angelorū & Hominū ciuitatés, sed una tantùm ex Angelis, & hominibus, qui per gratiæ donū tanta gloria potientur, vt ad Angelorū ordines assumpti secundùm singulos ipsorū gradus alijs quibusdā fiant Angelis æquales, alij uerò maiores, & multi insuper futuri sint inferiores.

DE-

Effigies.

# Glorificatio.

*Hēri. Gand. ait. quolib. 13. q. 12.*

1 GLoriam Beatorum in circumincessione quadam & illapsu Dei in essentiam Animæ formaliter consistere.

*Scot. abnuit 4. d. 49. q. 2.*

*S. Th. asserit. 1. 2. q. 3. ar. 4.*

2 Beatitudinem in actu intellectus principaliter, & essentialiter consistere.

*Scotus negat 4. d. 49. q. 4.*

*Ocham ait. 1. d. 1. q. 3.*

3 Beatam uisionem ita à solo effici Deo, vt merè passiuè ad eā cōcurrat intellectus.

*Soto negat. 4. d. 49. q. 2. ar. 3*

*Caiet. ait. p. p. q. 1. ar. 1.*

4 Beatificæ uisionis nullum absolutè naturalem inesse hominibus appetitum.

*Sot. opp. sētit 4. d. 49. q. 2. ar. 1.*

*S. Tho. cēsuit p. p. q. 12. ar. 2*

5 Beatricem uisionem nulla prorsus per fici posse creata specie ex parte rei visæ.

*Aureol apud Capr. arguit 4. d. 49. q. 5. ar. 2.*

*S. Tho. p. p. q. 12. art. 5.*

6 Beatos intellectus ad Dei essentiam cōtuendam habituali creato lumine indigere.

*Scot. arguit 4. d. 49. q. 11.*

*Ferrar. cōt. Gentiles lib. 3. cap. 54.*

7 Beatam visionem etiam per Dei potentiam absolutā elici ab intellectu creato nequaquā posse absque infuso lumine gloriæ.

*Sco. oppositū 3. d. 14. q. 1.*

*S. Tho. p. p. q. 10. ar. 5. ad prim.*

8 Beatam uisionem non Aeuo, sed Aeternitate mensurari.

*Sco. oppositū 4. d. 49. q. 6. dub. 2. minus princ.*

*S. Tho. 1. 2. q. 5. ar. 4.*

9 Beatricem uisionem ità suaptè naturā perpetuam esse, vt uoluntati necessitatem inferat eam volendi, & Deum amandi, ac de ipso gaudendi, nō solū quò ad specificationem actus, sed & quò ad exercitium.

*Sco. oppositū 1. d. 1. q. 4.*

*S. Tho. 3. p. q. 4. ar. 1. ad 2.*

10 Beatifica vnione Copulam Hypostaticam naturæ humanæ ad verbum, esse maiorem, atque præstantiorem.

*Durā. negat 3. d. 2. q. 1.*

*Scot.1. dist.1 q.2.ar.2.*

11 Beati ut Dei uideant essentiam non uisis personis diuinis, & earum unam absque alia, per absolutã Dei potentiã fieri posse.

*Caiet. oppos. 2.2.q.2.ar.8*

*S.Tho.p.p.q. 12.ar.8.*

12 Beatos uisione, qua Deum uidẽt, eadẽ & Creaturas uidere.

*Ockã negat 4.d.49.q.13.*

*S.Tho.p. p.q. 12.ar.8.ad4.*

13 Beatos cunctos in diuina essentia formaliter uidere omnia genera, species, & rationes rerum creatarũ, quæ ad præsens pertinent uniuersum.

*Io. Maior oppos.4.d.49. q.5.*

*Caiet.2. 2.q. 83.ar.4.ad 2*

14 Beatos, à primo instanti suæ Beatitudinis, in uerbo non causaliter, sed formaliter intueri orationes oẽs ad ipsos in toto beatitudinis suæ progressu fundendas.

*Dom. Bãnes negat p.p. q. 12.ar.10.*

*Durand. opinatur 4.dist. 49.q.3.*

15 Beatum quemlibet uidere in diuina essentia omnes quidditates rerum tam naturalium, quàm supernaturalium, creatarum & creabilium; sed de nulla earum cognoscere, an sit, quantum est ex natura uisionis.

*Soto arguit. ead.d.q.3.arti.3.*

*S.Thom.p.p. q.12.art.10.*

16 Beati si in uerbo omnes Dei effectus etiam possibiles uiderẽt, fore, ut ipsum Deũ compræhẽderent.

*Scot. arguit. 3.d.14.q.2.*

*S.Tho.p.p.q. 12.ar.10.*

17 Beati, quæcunque uident in uerbo, omnia simul actu non habitualiter, nec successiuè uident.

*Sco. oppositũ de Aĩa Christi.3.dist.14. q.2.*

*Caiet.p.p.q. 1.ar.2.*

18 Beati, quam fuerint in terris Theologiã consecuti, eandem in cælis multo perfectiorem retinebunt.

*Greg. de Valentia oppos. ibi.punct. 3.*

*Soto.4.d.49. ar.2.*

19 Beatus perfectiori secundum naturam præditum intellectu non perfectius aut intensius stante luminis æqualitate uidebit Deum, quàm alius beatus natura minus perfecto donatum intellectu.

*Caiet. oppos. 3.p.q.10.artic.4.*

*S.Bonau. 4. d.49.q.1.ar.1*

20 Beatorum essentialis Gloria post corporum resurrectionem etiam intensiuè maior erit.

*S.Tho.id negat 1.2.q.4. ar.5.ad.2.*

In omnibus autem huius seriei discordiis San. Thomæ sententias in disputatione defendendas suscipimus: in prima Scoti sententiam, in 3. 15. 19. Dominici Soto. in 4. 11. 14. & 18. Caietani in 7. Ferrariensis.

# Iustificatio.

S.Tho.ait. 3. p.q.1.ar.3.

1 SI Homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset.

Sco. oppositū 3.d.7.q.3.

S.Tho.3.p.q. 1.ar.2.ad 2.

2 Homo purus non potuit corā Deo sufficienter, culpam commissam adæquando, satisfacere pro peccato.

Scot. arguit 4.d.15.q.1.

S.Tho. ibid.

3 Quòd purus homo pro peccato satisfacere perfectè nequiuerit, hanc inter cæteras habuit causam, quòd offensa quandam habuerit malitiæ infinitatem.

Scot.ibid. arguit.

S.Tho.ibid.

4 Christi Domini satisfactio in rigore sufficiens fuit secundùm æqualitatem ad culpam commissam.

Durand. oppos.3.d. 20. q.2. & 4.d. 15.q.1.

S.Tho p.3.q. 6.ar.6. & q. 7.ar.13.

5 Gratia, siue unionis, siue habitualis ea fuerit, in assumptione humanæ naturæ ad Verbi Dei Hypostasim medium disponēs esse non potuit.

Alex.Alens. oppos.3.p.q. 11.et 12.memor.1.ar.1. & 2.& q.7. mēb.2.ar.1.

S.Tho. 3.p.q. 17.ar.2.

6 In Christo Domino nulla est alia subsistātialis existentia, nisi diuina.

Sco.oppositū 3.d.6.q.1.

S.Tho.3.p.q. 3.ar.6.

7 Diuinis personis impossibile non est, ut duæ uel tres unam naturam humanam assumant.

Sco.oppositū 3.d.1.q.2.

Iac. Naclan. ait tom. 2. Theor.2.

8 Per Dei potentiam absolutam à diuina persona naturam creata personalitate terminatam in unitatem personalem assumi, nil prohibet.

Caiet.opp.3. p.q.3.ar.6.

S. Tho. ait 3. p.q.4. art. 1. ad 3.

9 Naturam Angelicam à Deo in unitatē personæ assumi posse.

Alber.magn. oppos.3.d. 2. q.4.ar.1.

Na-

S.Tho.3.p.q. 4.ar.1.ad p.

10 Naturam irrationalem à Deo in unionem hypostaticam assumi posse.

Hēric.Gāda. opp.quol. 13. q.5.

Scot.dixit.3. d.12.q.unica

11 Humanitatē à verbo assumptā (quantū sit ex ui unionis) impeccabilem non fuisse.

Mag. sent. oppos.ead. dist.

S.Tho.3.p.q. 35.ar.5.

12 Filiatio, qua Christus Dominus ad Virginē matrē refertur, non est relatio realis.

Sco. oppositū 3.d.8.q. vni.

S.Tho.3.p.q. 22.ar.4.

13 Gloriosa Virgo Deipara in ipsa conceptione Christi nihil actiuè operata est, sed solam materiam ministrauit.

Sco.in oppos. pendet.3. d. 4.q.1.

S.Tho.1.2. q. 113.ar.2.

14 Iustificatio seu culpæ remissio absque diuinæ gratię infusione nec esse, nec intelligi potest.

Sco.oppositū. 4.d 1.q.6. & dist.16.q.2.

Scot.ait.4. d. 16.q.2.

15 In iustificatione impij, gratiæ infusionē & culpæ remissionem non esse unam, sed duas mutationes.

Caiet. oppos. 1.2.q.113. ar. 6.ad secun.

16 Gratiam à Charitate cunctisque uirtutibus realiter esse distinctam.

Sco.oppos. 2. d.27.q.unic.

S.Th.ait 1.2. q.110.art.3.

17 Gratiam non in voluntate aut alia quacunque potentia, sed in essentia Animæ, sicut in subiecto esse.

Sco. oppositū d.26.q. unic.

S.Tho.1.2.q. 110.ar.4.

Scot.dixit. 4. d.16.q.1.

18 Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem nullo modo esse partes Sacramēti pœnitentiæ, tametsi requirantur ad dignè illud recipiendum.

S.Th.opppos. 3.p.q.84.ar.1

Sco.ait 4.dis. 14.q.1.

19 Post actum peccati transeuntem nil aliud in homine remanere, à quo ille dicatur formaliter peccator, nisi relationem quandam rationis, quæ consistat in ordinatione, & imputatione ad pœnam.

Dom.Soto oppositum 4.d. 15.q.1.ar.2.

Gerson 3. p. Theol.tit. de vita spiritua li lect.pri.

20 Peccatum ueniale à mortali culpa distingui non ex se, sed ex sola Dei misericordia ad pœnam temporalem imputante.

Barth. Med. oppos.1.2. q. 88.ar.1.

Hu-

Huius seriei discordias ita disputãdas proponimus, ut in discordia 8. Iacobum Naclantum, in 11. Magist. sentent. in 15. Scotum, in 19. Dominicum Soto, in vlt. Barthol. Medinam, vbique uero S. Thomam sustinendos sumamus.

# Creatio.

*S.Tho.p.p.q.4.5.ar.5.*

1 NVlla Creatura per quamuis potentiam quicquã creare potest, ut principalis causa. *Durand. oppositum. 2. d. 1. q. 4.*

*S.Tho. ibid.*

2 Creatrix actio ita Dei propria est, ut neque ueluti instrumento creaturæ communicari queat. *Mag. Sent. 4. d. 5. p. 3.*

*Caiet. p.p. q. 45. ar. 3. ad. 3*

3 Creatio passiuè sumpta est relatio prædicamẽtalis a fundamẽto realiter distincta. *Sco. oppositũ. 2. d. 1. q. 4. et 5*

*Marsil. ait. 2. d. 1. q. 1. ar. 2. fin.*

4 Quod mundus, aliquavè creatura ab æterno produceretur, contradictionem implicare. *Gabriel dissẽtit 2. d. 1. q. 3.*

*Greg. Arimi. dixit. 2. d. 1. q. 3. ar. 1.*

5 Potuisse mundum ab æterno produci secundum omnes suas partes in ea prorsus, quam nunc habet, dispositione. *Dom. Ban. oppositum. p. p. q. 46. ar. 2.*

*S.Tho. ait. p. p. q. 46. art. 2.*

6 Nullam esse demonstrationem probantem, quòd mundus ab æterno produci non potuerit quo ad omnes res tam corruptibiles quàm incorruptibiles permanentes, & successiuas in sua ipsarum dispositione, quã modo habent, præter unam hominum generationem. *Durand. oppositum. 2. d. 1. q. 2. & 3.*

*S.Tho.p p. q. 8. ar. 1. & q. 4. ar. 1. ad 3.*

7 Esse creatum, omnium rerum, etiã formarum est perfectissimum; & proprius est tum Dei effectus, tum creationis terminus. *Sco. argnit 4 d. 1. q. 1.*

*S.Tho. de potentia q. 3. ar tic. 7.*

8 Deus est Creaturæ, & cuiuslibet actionis eius causa immediata, neque tamen ob id Creaturis proprię subtrahũtur actiones. *Durand. contra 2. d. 1. q. 5. num. 11.*

*S.Tho.p. p.q. 50. ar. 4.*

9 Omnes Angelos specie inter sese differre. *Sco. oppositũ 2. d. 3. q. 7.*

Per

| | | |
|---|---|---|
| S.Tho. p.p. q. 52.ar.1. | 10 Per applicationem uirtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercunque dicitur Angelus esse in loco. | Sco.arg.2.d. 2.q.6. |
| Scot. uidetur 2.d.2.q.6. | 11 Angelum esse non posse in loco quantumcunque paruo. | Caie.Cõtr.p. p.q.52.ar.2. |
| S.Tho.p.p. q. 52.ar.3. | 12 Plures Angeli in eodem loco simul esse non possunt. | Greg. Ari. 2. d.2.q.3. ar.2. |
| S. Tho. p. p. q.55.ar.2. | 13 Angeli notitiam ab intellectis rebus nequaquam accipiunt, sed à speciebus sibi à sua conditione naturaliter insertis. | Sco. oppositũ 2.d.3.q.ult. |
| S. Tho.p.p.q. 54.ar.4. | 14 In Angelis non est intellectus Agens, aut possibilis,nisi ualde impropriè, & æqui uoce quis loquatur. | Sot.arg.2.d. 3.q.11. |
| S.Tho.p.p. q. 55.ar.3. | 15 Angeli quò natura superiores,et intellectu perfectiores sunt, eo per species uniuersaliores intelligunt. | Scot. arg. 2. d.3.q.10. |
| S.Tho.p.p.q. 63.ar.5. | 16 Angelum in primo suæ creationis instanti per inordinatum actum liberi arbitrii peccasse,impossibile fuit. | Scot. contra. 2.d.5.q.2. |
| Greg.de Val. ait p.p.disp. 7.q.2.p.1. | 17 Primi hominis scientiam præstantiorem fuisse scientia cuiuscunque alterius hominis, qui unquam extiterit. | Abulensis negat.q.7.in c. 3.lib.3. Reg. |
| S.Tho.ait. p. p.q.95. ar.1. | 18 Primum hominem in ipso suæ conditionis momento cũ gratia gratificante fuisse creatum. | Alex. Alen. 2. p. q. 96. mẽb.1.negat |
| Caiet. p.p. q. 95.ar.1. | 19 Originalem iustitiam primi hominis habitum à gratia gratum faciente realiter fuisse distinctum. | Sot.negat de Nat. & gratia lib.1.c.5. |
| Dur.ait.2.d. 20.q.5.& d. 31.q.3. | 20 Iustitiæ originalis subiectum fuisse inferiorem animæ partem. | S.Thom.neg. 1. 2. q. 83. ar.2. |

Eas hac serie, discordiarum partes, vti probabiliores, & ueritati magis consentaneas in disputatione tuendas amplectimur, quas in 3.& 11.Caietanus, in 4.Gabriel, in 5.Dominicus Bann.in 17.Greg.Valent.in 19. Dominicus Soto, & in alijs omnibus S.Thomas amplectendas putarunt.

Tri-

S.Tho. ait p. p.q. 40. ar. 2.

1 Diuinas personas, non per origines, sed per originum relationes primò distingui, atque constitui.

S. Bonauent. opp. 1. d. 26. q. 3.

S.Tho. p.p.q. 40. ar. 4.

2 Paternitas in diuinis, vt cõstitutiua personæ, secundum nostrum intelligendi modum præcedit actum notionalem; vt relatio uerò supponit illum.

Durãd. neg. 1. d. 27. q. 1.

Caiet. p.p. q. 40. ar. 4.

3 Paternitas sub expressa ratione paternitatis, vt concepta, generationem præcedit; vt exercita, sequitur eam.

Hieron. de la Rua arg. contr. 1. Schol.

Robert. Bellarm. tom. 1. cõtrou. 2. lib. 2. cap. 15.

4 Subsistentiam diuinam partim esse unã, partim multas; partim absolutam, partim relatiuam; partim communem tribus, partim propriam singulorum.

Hieron. de la Rua neg. controu. 5. schol.

Caiet p.p.q. 3 ar. 3. et q. 39. ar. 1.

5 In diuinis concedendum est concretum, hic Deus, præintellectum proprietatibus relatiuis sumptum à Deitate singulari subsistente.

Greg. de Valen. opp. disput. 3. q. 13. pun. 3.

S. Tho. p.p. q. 29. art. 4. & q. 30. ar. 4.

6 Nomen personæ in diuinis significat uerè aliquid positiuum, secundum rationẽ commune, dictum in quid de diuinis personis, videlicet relationem ut in diuina natura subsistentem, ac ob id substantiam primam.

Scot. negat. 1. d. 25. & 23.

Scot. 1. d. 2. q. 7. ad quartam.

7 Ante omnem actum intellectus creati & increati essẽtia in diuinis ita distinguitur à persona, vt realitas essentiæ non sit formaliter realitas personæ.

Caieta. opp. p.p. q. 39. ar. 1.

S. Tho. p.p.q. 39. ar. 4 ad 1.

8 Hæc propositio, Deus non generat, falsa est.

Io. Bac. op. 1. d. 7. q. 1. ar. 4.

Durand. 1. d. 6. q. 2.

9 Generatio filij, & spiratio Spiritus sancti sunt in diuinis ex fæcũditate naturæ, per intellectum exclusis à Deo intellectu & uoluntate cum omnibus actibus suis.

S. Thom. opp. p.p. q. 27. ar. 5.

*Durand. ait 1. d. 13. q. 2.*

10 Generationem actiuam, & spirationē pariter actiuam in Patre ab se inuicē realiter distingui; idem de generatione passiua & spiratione actiua in filio.

*S. Tho. neg. p. p. q. 32. ar. 3. ad tertium.*

*Caiet. p. p. q. 34. ar. 3. ad quartum.*

11 Verbi nomē in diuinis significat principaliter relationē, quæ est proprietas personalis filij; secundariò autem absolutum.

*Ferr. opp. 4. cōt. gēt. c. 13.*

*Scot. 1. d. 2. q. ult.*

12 Dicere, seu producere verbum nō est aliquis actus intelligendi formaliter, est tamen aliquis actus intellectus; cùm nullus actus intelligēdi sit formaliter productiuus.

*Caiet. cōtra. p. p. q. 27. ar. primo.*

*S. Tho. p. p. q. 34. ar. 3.*

13 Verbum Dei procedit ex ui intellectionis, qua Pater non solùm essentiā suam, sed & personas diuinas, & creaturas omnes intelligit.

*Scot. cont. 1. d. 1. q. 1. ar. 2.*

*Scot. 1: d. 6. q. uni. fin.*

14 In verbi Dei generatione uoluntas concomitans est prior nostro intellectui, quàm ipsa generatio.

*Capreol. opp. 1. d. 6. q. 1. ar. 1. concl. 6.*

*S. Tho. p. p. q. 41. ar. 2. ad tertium.*

15 Actus notionalis, quo persona Spiritus sancti procedit, est uoluntarius uoluntate antecedente & principiante, non ut potentia libera est, sed ut natura.

*Scot. opp. 1. d. 10. q. umc. & quodl. 16.*

*S. Tho. p. p. q. 36. ar. 2.*

16 Si Spiritus sanctus à filio non procederet, nullo modo posset ab eo personaliter distingui.

*Scot. opp. 1. d. 11. q. 2.*

*S. Tho. p. p. q. 36. ar. 4.*

17 Hæc propositio, Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti, in rigore & proprietate sermonis uerissima est.

*Greg. Ariminen. neg. 1. d. 12. q. 1.*

*Caiet. p. p. q. 36. ar. 4. ex S. Tho.*

18 Spiritus sanctus est per se à duobus una uirtute spirātibus, ita quòd dualitas est necessaria & per se conditio spiratoris.

*Scot. opp. 1. d. 12. q. 1.*

*S. Tho. p. p. q. 37. art. 2.*

19 Cùm agens & actione & termino actionis propriè denominari contingat, Hæc propositio, Pater & Filius diligunt se & nos Spiritu sancto, proprietatem habet, & ueritatem.

*Scot. contra. 1. d. 32. q. 1.*

Aequa-

S.Tho. p.p.q. 42. ar. 1. ad quartum.

20 Aequalitas diuinarum personarũ est quidem relatio, sed non realis relatio.

Scot.opp.1.d. 31.q.1.

Hunc discordiarum ordinem hac ratione disputationi subijcimus, vt quas partes probauerunt in 3.5.7.11.12.18. Caietanus; in 4.Rob.Bellarminus, in 14.Scotus, & per totum S.Thomas, illas & nos pariter comprobemus.

# Vnitas.

S. Tho. docet p.p.q.2.ar.1.

1 HAec propositio, Deus est, non est per se nota secundum nos.

Abulen.neg. q.2.Exo.c.5.

Ricar.1.d.3. q.2.

2 Hæc propositio, Deus est, est per se nota secundum se.

Scot. opp.1.d. 2.q.2.

S.Tho.p.p.q. 2.ar.2.

3 Deum esse, per naturalem rationem ex effectibus demonstrari euidenter potest.

Pet. Aliac.dubit.1.d.3.q.3.

Marsil.1.d.5. ar.1.

4 Vnum esse Deum, naturali etiam ratione demonstratur.

Gabriel neg. 1.d.2.q.10.

S.Tho.p.p.q. 3.ar.6.& 3. & q.6.ar.3.

5 Vni Deo proprium est, existentiam essentiæ non solùm formaliter, sed etiã realiter identificatam habere.

Hēric.quodl. 1.q 9.

Scot. 1. d. 8. q.4.

6 Perfectiones attributales in Deo ita præciso omni opere intellectus ex natura rei distinguuntur, vt sapientia in re formaliter non sit bonitas in re.

Caiet.opp. de ent.& essen. lib.6.q.12.

Scot.1.d.8.q. 1.primum.

7 Simplicitas est perfectio simpliciter.

S.Tho.opp.4. d.11.q.2.1.1.

Caiet.p.p. q. 19.ar.2.

8 Communicare se alijs perfectio est in Deo uoluntaria, & libera, quæ ab æterno in eo non fuit.

Domi.Bann. opp.p.p.q.19. ar.2.

Caiet.p.p. q. 8.ar.1.

9 Dei præsentia in omnibus rebus ex eo rectè concludi potest, quòd in omnibus & in quauis cuiusque particula aliquid Deus immediatè agat immediatione suppositi.

Scot.neg.1.d. 37.q.un.

S.Tho.p.p.q. 25.ar.6.

10 Deus potest facere species rerũ perfectiores & perfectiores in infinitum.

Aur.apudCapre.neg.1.d. 43.44.q.un.

*S.Tho.p.p.q. 14.ar.13.*

11 Quæcunque in tempore fiunt, Aeternitati præsentia sunt, ideoque Deus futura contingentia certò cognoscit.

*Scot. cont. c. d.39.*

*S.Tho ibid.*

12 Deus ea etiam ratione, qua præsentes apud se rerum rationes habet, futura contingentia cognoscit.

*Scot.ibid.*

*Bened. Perrer. lib.12. de princip. rerũ nat.cap.13.*

13 Aeternitas eò, quia principio careat ac fine, propriam habet rationẽ suæ per se distinctionis ab Aeuo, quod principiũ quidem habeat, nequaquàm uerò finem; à tempore autem, quod habeat utrunque.

*S.Tho.neg.p. p.q.10.ar.5.*

*S. Bonauent. 2.d.2.q.3. ar.1.*

14 Propria Aeternitatis, Aeui, ac temporis differentia in eo sita est, quòd Aeuum habet prius & posterius sine innouatione & ueteratione; tempus utrunque; Aeternitas neutrum.

*S.Tho.neg.p. p.q.10.ar.5.*

*Scot. 2. d. 2. q.4.*

15 Aeui ratio in eo consistit, vt sit mensura cuiuscunque existentiæ actualis inuariabilis; neque perpetuitas uel corruptiõ aliquorum uariat mensuram formaliter.

*Bened. Perrer.oppo. loc. cit. lib. 12.c. 13.*

*S.Tho.p.p.q. 10.ar.5.*

16 Aeternitatis ab Aeuo ac tempore radicalis differẽtia ita statuitur, vt Aeternitas sit mensura rei omnino & secundum omnia immutabilis, tempus rerum omnino mutabilium, Aeuum autem rerum quidem immutabilium, sed quibus mutatio coniungatur, aut coniungi queat.

*Petr. Fonsec. obiçit. 5. Metaph. cap.13. q.12.*

*Scot.1. d.35. q.unica. et d. 36.q.unic.*

17 Deus in primo instanti intelligit essentiam suam sub ratione merè absoluta, in secundo instanti producit creaturas in esse intelligibili, & intelligit eas, ita quòd illud esse intelligibile est absolutum fundans relationem ad intellectionem diuinam, nulla adhuc existẽte relatione in intellectione diuina ad creaturas, sed solum in tertio instanti.

*Caiet. opp. p. p. q.15.ar.5.*

Im-

| | | |
|---|---|---|
| *S.Tho.p.p.q. 13.ar.5.* | 18 Impossibile est, aliquid prædicari uniuocè de Deo & creaturis. | *Scot. contra. 1.d.2.q.3.& d.8.q.2.* |
| *S.Tho. p.p.q. 13.ar.1.* | 19 Deo, vel cuicunque alteri rei nequit nomen imponi distinctius rem significans, quàm concipiatur. | *Scot.opp.1.d. 22.q.un.* |
| *Scot. 1. d. 3. q.1.* | 20 Simplicior & perfectior conceptus Deo proprius, & nobis possibilis est conceptus huius nominis, ens infinitum. | *Caiet. neg.p. p.q.13.ar.12.* |

Quas postremi huius Capitis discordiarum partes ueras existimarunt Ricardus in 2. Marsilius in 4. Caietanus in 6. 9. 17. 20. Dominicus Bannes in 8. Bened. Perrer. in 15. & in reliquis omnibus S. Thomas, has quoque ueras existimamus & nos obiectis in disputatione responsuri.

*Itaque cogitet apud se prudens Lector, an in difficillimis istis uel affirmationibus, vel negationibus, quæ ualidissimis pro utraque parte rationibus fultæ præclarissima exercent ingenia, tam facili negotio unanimes conuenirent nostrorum temporum hæretici Nouatores, qui nec in concordijs quidem ipsis, nec in principalibus fidei Christianæ dogmatibus & principijs possunt aut uolunt esse concordes. Cur igitur Scholasticos Theologos tã acri atque implacabili odio insectantur, & inuidiam illis apud homines conflant? In promptu causa est, formidant, nimis examen; uerentur, ne doli & technæ eorum per Theologiam Scholasticam detegantur, cùm ipsi passim & scripturis, & naturali rationi, & rerum usui repugnantia dicant.*

*Caterùm si in superioribus Theologorum discordijs, aut alijs eorum scriptis aliquid fortè legentibus occurrerit, quod fidem ipsam aut tangat, aut tangere uideatur, consideret unusquisque, longè aliam esse Scholasticorum, atque sectariorum rationem. Doctores enim Scholastici in hanc omnes sententiam Catholicam concordes inueniuntur, Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum Matrem, atque Magistram Columnam & Firmamentum esse Veritatis, cuius etiam correctioni omnes mirabili consensu Doctrinam suppositerunt suam, & cuius adhuc nullum extabat de opposita parte decretum. Quæ omnia à sectarijs cunctis ualde sunt aliena.*

*At prisca quoque SS. Patrum Theologia suas habuit discordias, quarum aliquas breuiter recensuisse sufficiat, ne in immensum liber excrescat.*

*S.Greg.Naz. ser. de Nat. Domini.*

1 ANgelos ante mundum corporeum creatos esse.

*S.Augu.opp. de ciuit. Dei li.11.c.6.& 9.*

*S.Greg.Mag. 4. mor. c.12. & li.24.c.4.*

2 Primum & perfectissimũ Angelorum omnium fuisse supremum inter peccantes.

*S. Damasce. opp.lib.2.fid. ort.cap.4.*

*S.Hieron. ad Ocean. d.26. can.vnius.*

3 Si quis in infidelitate fuerit cõiugatus, licet mortua uxore aliam post Baptismum ducat, non censetur Bigamus.

*S.Aug.opp.in epi. ad Tit d. 26. ca. Acut.*

*S.Hieron.to. 3.in epistola quæ incipit tres simul.*

4 Legalia post passionem CHRISTI non solùm mortua, sed etiam mortifera statim fuisse.

*S.Augu. opp. to.2. epist.19.*

*Idem ibi.*

5 Apostolos post passionem CHRISTI nunquàm secundum ueritatem legalia seruasse, sed simulasse propter scandalum.

*Idem opp.ibi.*

*Idem ibi.*

6 Petri simulationem, quæ 2. ad Gal. refertur, peccatum non fuisse.

*Idem opp.*

*Idem ibi.*

7 Petrum à Paulo non uerè sed simulatoriè repræhensum fuisse.

*Idem opp.*

*S.Bernar. in ep. ad Canoni. Lugd.*

8 B.Virginem DEI matrem, post sanctificationem suam, ab omni deinceps peccato fuisse immunem.

*S.Ioã. Chrys. to.3.hom.20. c.2.in Ioan.*

*S.Aug.lib.de cura pro mortuis agẽ.c.15.*

9 Veram fuisse animam Samuelis, quæ apparuit Sauli, & Phitonissæ. 1.Reg.c.28.

*S.Iust. martyr opp.q.52. ad gentes.*

*S.Aug. epist. 112.c.12.*

10 Ex diuino priuilegio cõtigit Dei essẽ tiam in hac uita uidere, vt Moysi, & Paulo.

*S. Dion.c.4. de cæl.Hier.*

Harum autem discordiarum eas ueritati propiores sententias arbitramur, quas & arbitrati sunt SS. Augustinus in prima, 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. Gregorius Magnus in secunda; Bernardi uero sententia, quæ octauum obtinet locum, omninò & absque ullâ controuersia uerissima est.

*Mul-*

*Multas etiam esse contrarias Philosophorum opiniones, hæc quibus constat, ex quibus absque aliorum suarum citationes has pauculas pro Philosophis disputandas proponimus.* 81

1 ENs communissimè conceptum, nullum naturæ gradum substantiæ & accidenti, Deo & creaturis communem significat.

2 Ens, vt ens, quatenus etiam entia realia & rationis complectitur, nec omninò æquiuocum est, nec uniuocum.

3 Prædicamenta ens proximè diuidentia, per eundem Naturæ gradum & conueniunt, & diuersa sunt.

4 Non singulare, non species, sed ens est absolutè primum cognitum à nobis.

5 Ens ueras habet ac proprias passiones, de quibus dicitur in quid, sicut & de ultimis differentijs, & de cunctis omninò rebus.

6 Vnum non est re ipsa distinctum ab ente, sed unã cum eo Naturam dicit, quàmuis non una ratione.

7 Vnum enti nil positiuum addit, sed solam indiuisionem per modum priuationis.

8 Vnum multis opponitur; ea tamen oppositio nequaquàm impedit unius cum ente reciprocationem.

9 Substantiæ prædicamentũ est cõmune corruptibilibus & incorruptibilibus, corporeis & incorporeis substantijs.

10 Substantia creata nullius operationis proximum potest esse principium.

11 Accidens substantiã producere potest, non quidem sua ipsius ui, sed substantiæ uirtute.

12 Materia ex se, nec existentiam, nec actum ullũ habet.

13 Materia cœli longè diuersæ rationis est à rerum sublunarium materia.

14 Cœlorum omnium materia nõ est eiusdem rationis.

15 Materia signata, non quatenus est in potentia ad certam quantitatem, sed quatenus eandem præhabet in radice, est primum principium indiuiduationis substantiarum materialium.

16 Duo aut plura eiusdem speciei singularia, quatenus

sin-

singularia sunt, in nullo reali obiectiuo cõceptu conueniũt uniuocè, sicut nec plures eiusdem generis species, vt specificè differentes; analogicè uero conuenire, necesse est.

17 Formas substantiales ad quidditatiuorum prædicatorum multiplicationem nequaquàm multiplicari oportet.

18 Formæ substantiales elementorum in mixtis nec integræ actu permanent, nec refractæ:

19 In quacunque substantiali generatione & corruptione resoluto fit usque ad materiam primam.

20 Vna tantùm est in unoquoque composito substantialis forma.

*Disputabuntur pro Augustissima & Religiosissima Hispaniæ Prouincia bonarum literarum, præcipuè uero Scholasticarum, Nutrice fidissima. Respondente eodem F. Augustino Brasichellensi prouinciæ Lombardiæ alumno, sub felicissimis tutissimisq; præsidijs admodum Reuerendi Patris, viri tum Doctrina tum Religione clarissimi, Magistri F. Ioan Vincentij Asturicensis totius Ordinis Prædicatorum Generalis Vicarij, ac eiusdem in Romana curia Procuratoris dignissimi.*

*Anno Domini.* M. D. XCII. *Mense Maio. Die* XVIII. *quæ erit secunda Pentecostes. Hora* XVIII.

1013352